

cundum cursum naturæ ex determinatis agentibus naturalibus. Unde hujus positionis est falsum fundamentum.

Et ideo dicendum, quod dæmones virtute propria nullam formam in materiam influere possunt, nec accidentalem, nec substantialem; nec reducere eam in actum, nisi ad miniculo proprii agentis naturalis: sicut (1) enim artifex non propria virtute, sed virtute ignis appositi calefacit; ita dæmones ad determinata passiva possunt conjungere activa, ut sequatur effectus ex causis quidem naturalibus, sed præter consuetum cursum naturæ, propter multitudinem, & vehementiam virtutis activæ rerum aggregatarum, & propter habilitatem passivorum: & ideo effectus qui non sunt in potestate alicujus virtutis activæ naturalis, producere non possunt, ut suscitare mortuum, vel aliquid hujusmodi, secundum veritatem; sed in præstigiis tantum, ut infra dicitur.

Ad primum ergo dicendum, quod tempore Antichristi aliqua vera miracula fient virtute dæmonum, permissione divina, in illis tamen ad quæ virtus dæmonis se extendit; tamen dicuntur omnia mendacia ex parte finis, quia ad decipiendum sunt.

Ad secundum dicendum, quod signa facta per bonos possunt distingui ab illis quæ per malos fiunt tripliciter ad minus. Primo ex efficacia virtutis operantis: quia signa facta per bonos virtute divina, fiunt in illis etiam ad quæ virtus activa naturæ se nullo modo extendit, sicut suscitare mortuos, & hujusmodi: quæ dæmones secundum veritatem facere non possunt, sed in præstigiis tantum, quæ diu durare non possunt. Secundo ex utilitate signorum: quia signa per bonos facta, sunt de rebus utilis, ut in curatione infirmitatum, & hujusmodi; signa autem per malos facta, sunt in rebus nocivis, vel vanis; sicut quod volant in aere, vel reddunt membra hominum stupida, & hujusmodi: & hanc differentiam assignat Beatus Petrus (a) in itinerario Clementis. Tertia differentia est quantum ad finem: quia signa bonorum ordinantur ad ædificationem fidei, & bonorum morum; sed signa malorum sunt in manifestum nocumentum fidei, & honestatis. Et quantum ad modum differunt: quia boni operantur miracula per invocationem divini nominis pie, & reverenter; sed mali quibusdam deliramentis, sicut quod incidunt se cultris, & hujusmodi turpia faciunt. Et ita signa per bonos facta manifeste possunt discerni ab his quæ virtute dæmonum fiunt.

Ad tertium dicendum, quod talem alterationem præcedit aliquis motus localis, in quantum virtutes activas colligunt, & determinatis passivis apponunt; sed talis motus localis non reducitur in motum cælestem, quia non est secundum aliquam virtutem moventem naturalem, sed in quantum obedit virtuti dæmonis ad motum localem; quod est virtute naturæ suæ, quæ supra corpora potest: non quidem ut aliquam formam influat, sed ut localiter moveat: quia motus localis non est secundum acquisitionem alicujus quod in re sit quæ movetur, quia locus est extrinsecus locato.

(1) Al. etiam.

Ex Edit. P. Nicol. (a) Vel ex persona Petri Clemens in eo Libro quem *itinerarium Petri* nuncupavit, & hic vocatur *itinerarium Clementis*, quia scriptum est à Clemente, ut & apud Clementem *itinerarium Petri*, quia varia ejus itinera describit. Ac circuitus quidem Petri à se fuisse scriptos, & ab aliis tamen depravatos testatur Clemens ipse apud Epiphanium hæres. xxx. Sed an idem sit *itinerarium Petri*, & *circuitus Petri*, non satis liquet. Certe *itinerarium Petri* apocryphum censuit Gelasius Papa in Concilio Romano, ut videre est in Decretis dist. xv. c. *Sancta Romana Ecclesia*. Sed sunt in apocryphis quoque aliqua innoxia, & legitima, quæ usurpari possunt, quales illud est quod hic usurpat S. Thomas.

Ad quartum dicendum, quod corpora cælestia non habent aliquam impressionem in dæmones, ut eis subdantur; sed ideo advocati sub certa constellatione veniunt, quia sciunt virtutem illius constellationis juvare ad effectum qui requiritur: vel propter hoc ut homines inducantur ad venerandum aliquod nomen in stellis, ex quo idolatriæ ritus procedit.

Ad quintum dicendum, quod ars virtute sua non potest formam substantialem conferre, quod tamen potest virtute naturalis agentis; sicut patet in hoc quod per artem inducitur forma ignis in lignis. Sed quedam formæ substantiales sunt quas nullo modo ars inducere potest, quia propria activa, & passiva invenire non potest; sed in his potest aliquid simile facere; sicut alchimistæ faciunt aliquid simile auro, quantum ad accidentia exteriora, sed tamen non faciunt verum aurum: quia forma substantialis auri non est per calorem ignis, quo utuntur alchimistæ, sed per calorem solis in loco determinato, ubi viget virtus mineralis: & ideo tale aurum non habet operationem consequentem speciem, & similiter in aliis quæ eorum operatione fiunt.

ARTICULUS II.

Utrum uti auxilio dæmonis ad effectus corporales sit malum.

1. AD secundum sic proceditur. Videtur quod uti auxilio dæmonum in talibus operationibus non sit malum. Ipse enim Paulus Corinthiis fornicarium tradidit satanæ in interitum carnis, ut dicitur I. Corinth. v. Sed in hoc non dicitur peccasse. Ergo uti licet obsequio dæmonum.

2. Præterea. Licet auxilium accipere etiam à peccatoribus, ut elemosynam, vel aliquid hujusmodi. Sed in dæmonibus non est invenire nisi naturam quæ bona est, & peccatum. Ergo videtur quod auxilio eorum uti liceat.

3. Præterea. Deus contulit virtutes verbis, & rebus. Sed virtute quorundam verborum, & rerum dæmones advocantur, & quasi compelluntur. Ergo videtur quod eorum auxilio uti liceat.

4. Præterea. Id quod vergit in aliquam utilitatem, & nulli derogat, non videtur esse peccatum. Sed per invocationes dæmonum frequenter multa utilia fiunt, sicut patet in inventione rerum amissarum. Ergo videtur quod in talibus uti licet eorum auxilio.

Sed contra. Deuter. xvi. præcepit Dominus omnes incantatores, & maleficos interfici. Mors autem corporalis non infligitur sine gravi peccato. Ergo videtur quod graviter peccant qui talibus intendunt.

Præterea. Augustinus dicit super Genes. Lib. II. omnes divinationes esse fugiendas, & cavendas. Ergo &c.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod ea quæ sunt supra facultatem humanam, & naturæ, à solo Deo requirenda

da sunt: & ideo sicut graviter peccat qui illud quod est Dei, creaturæ impendit per idolatriæ cultum; ita graviter peccant qui ea quæ à Deo expectanda sunt, auxilio dæmonum implicant: & hujusmodi est vaticinatio de futuro: unde dicitur Isai. viii. 19. *Numquid non populus à Deo suo requirit?* Et similiter etiam in aliis operibus magicis, in quibus complementum operis ex virtute dæmonum expectatur: in his enim omnibus est apostasia à fide per pactum inicum cum dæmone, vel verbo tenus, si invocatio intersit, vel factio aliquo, etiam si sacrificia desint: non enim potest homo duobus dominis servire, ut dicitur Matth. vi.

Ad primum ergo dicendum, quod Paulus, & quidam alii sancti leguntur aliqua per dæmones fecisse, non pacto cum eis inico, sed sicut virtutem divinam in eis exercentes; sicut etiam potestatum cælestium officium dicitur dæmones arceri.

Ad secundum dicendum, quod peccatores, quamdiu in hac vita vivunt, possunt fieri membra Christi quantumcumque videantur in malicia obstinati; & ideo ex caritate diligendi sunt, & ab eis beneficia recipi possunt, & impendi, dummodo contra caritatem non sint: sed postquam à corpore in damnationem decedunt, idem est iudicium de eis, & de dæmonibus.

Ad tertium dicendum, quod non est credendum, aliquibus virtutibus corporalibus dæmones subjacere; & ideo non coguntur invocationibus, & factis quibusdam maleficis, nisi in quantum per hoc cum

eis foedus inicitur, secundum quod dicitur Isai. xxviii. 15. *Percussimus foedus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.*

Ad quartum dicendum, quod nulla utilitas esse potest pro qua aliquid faciendum sit quod in Dei vergat injuriam: quod contingit quando illud quod ipsius est, non ab ipso quaeritur, sed cum ejus adversario foedus inicitur.

EXPOSITIO TEXTUS.

Boni (1) vero arbitrium multo liberius habent post confirmationem quam ante. Sed contra. Liberum arbitrium est quod cogi non potest. Sed negationes non recipiunt magis & minus. Ergo nec liberum arbitrium.

Ad quod dicendum, quod quamvis negatio, secundum illud quod est, magis vel minus non recipiat; tamen dicitur intendi, & remitti, quatenus habet causam in subjecto; sicut qui caret substantia oculi, magis dicitur cæcus quam ille cuius visus dicitur ab humore aliquo impeditur ad pupillam confluentem: & ideo dici potest libertas arbitrii major & minor, secundum modum naturæ in qua est.

Occulta quædam (2) semina in corporeis hujus mundi clementis latent. Per hæc semina intelliguntur virtutes activæ; existentes in rebus ex virtute cælesti, & ex qualitatibus activis, & passivis: quia semen in II. Phys. (text. xxxi.) computatur inter causas activas.

DISTINCTIO VIII.

Utrum Angeli omnes corporei sint: quod quibusdam visum est, quibus Augustinus consentire videtur dicens, omnes Angelos ante casum habuisse corpora tenuia, & spiritualia; sed in casu mutata in deterius malorum corpora, ut in eis possent pati.

Solet etiam in quæstione versari apud doctos, utrum Angeli omnes, boni scilicet, & mali, corporei sint, id est corpora habeant sibi unita. Quod aliqui putant, innitentes verbis Augustini, qui dicere videtur, quod Angeli omnes ante confirmationem, vel lapsum, corpora aerea habuerint de puriore, ac superiore aeris parte formata, ad faciendum habilia, non ad patiendum: & Angelis bonis, qui persisterunt, talia conservata sunt corpora, ut in eis possint facere, & non pati: quæ tantæ sunt tenuitatis ut à mortalibus videri non valeant, nisi supervestita aliqua grossiori forma, qua assumpta videntur, depositaque videri desinunt: Angelis vero malis mutata sunt in casu corpora in deteriore qualitate spissioris aeris. Sicut enim à loco digniori in inferiorem locum, id est caliginosum aerem, dejecti sunt; ita illa corpora tenuia transformata sunt in deteriora, & spissiora, in quibus pati possunt à superiori elemento, id est ab igne. Et hoc Augustinus sensisse videtur super Gen. (3) Lib. III. cap. x. ita dicens. „Dæmones aerea dicuntur animalia, quia corporum aereorum natura vigent, nec per mortem dissolvuntur: quia prævalet in eis elementum aptius ad faciendum quam ad patiendum. Ad patiendum enim humor, & humus: ad faciendum aer, & ignis aptitudinem præbent. Transgressores vero angeli cum principe suo nunc diabolo, tunc Archangelo, non mirum si post peccatum in hanc caliginem detrusi sunt. Neque etiam hoc mirum est, si conversi sunt ex poena in aeream qualitatem, qua possent ab igne pati. Caliginosa tamen aeris tenere tantum permitti sunt; qui eis quasi carcer sit usque ad tempus iudicii. Ecce his verbis videtur Augustinus id tradere quod quidam opinantur de corporibus Angelorum. Hoc autem eum aliqui dixisse astruunt, non ita sentiendo, sed opinionem aliorum referendo: quod ex ipsis verbis dijudicare volunt, quibus ait: „Dæmones dicuntur aerea animalia;“ non ait, Sunt. Ita enim quidam dicebant. De habitatione vero caliginosi aeris, in quem detrusi sunt, non opinando, sed rei veritatem asserendo eum tradidisse dicunt: quod istius locutionis distinctio ostendit. Dicunt quoque plurimos catholicos tractatores in hoc convenire, atque id concorditer docuisse, quod Angeli incorporei sunt, nec corpora habent sibi unita. Assumunt autem aliquando corpora Deo præparante, ad impletionem ministerii sui sibi à Deo injuncti, eademque post expletionem deponunt: in quibus corporibus hominibus apparuerunt, atque locuti sunt; & aliquando quidem locuti sunt ex persona Dei sine distinctione alicujus personæ; aliquando ex persona Patris, vel Filii, vel Spiritus Sancti.

In II. Sent. Tom. II.

(1) Al. tantum: Boni vero argumentum, &c. (2) Al. Scientia, &c. (3) Ad marginem Venetæ editionis an. 1593. notatur: Verum Lib. VIII. de Civ. Dei cap. xvi. suam de hac re aperit sententiam.

Quod Deus in corporalibus illis antiquis formis apparuit.

Nec dubitandum est Deum in corporalibus formis apparuisse hominibus, sicut Augustinus in II. Lib. de Trin. (cap. v. vi. vii. & seqq.) ostendit, conferens diversa Scripturæ testimonia, ex quibus Deum in corporeis formis hominibus apparuisse probat; & aliquando ex persona Dei sine distinctione, aliquando sub distinctione personarum sermonem factum esse eis.

De perplexa questione quam ponit Augustinus, quærens an ad exhibendum has corporales apparitiones creatura nova sit formata, an Angeli qui ante erant, fuerint missi; & si ipsi missi sunt, utrum servata qualitate sui spiritualis corporis, aliquam speciem corporalem de corpulentiori materia assumpserint, an an suum proprium corpus mutaverint in speciem sui actioni aptam.

SED ubi Deum hominibus in corporalibus imaginibus apparuisse, asserit, perplexam questionem proponit (Lib. II. de Trin. cap. 1. & Lib. III. cap. 1.) quam nec solvit; quærens, utrum in illis corporalibus apparitionibus creatura aliqua crearetur ad illud opus tantum, in qua Deus hominibus appareret; an Angeli qui ante erant, ita mitterentur, ut manentes in suis spiritualibus corporibus, assumerent ex corpulentia inferiorum elementorum materia aliquam speciem corporalem, quam coaptatam quasi aliquam vestem mutarent in quaslibet species corporales, veras quidem: an corpus suum proprium verterent in species aptas actionibus suis per virtutem sibi à Deo datam. At enim Augustinus ita in III. Libro de Trinitate, cap. 1. Quærendum est in illis antiquis corporalibus formis, & visis, utrum ad hoc opus tantum creatura formata sit, in qua Deus, sicut tunc oportuisse iudicavit, humanis ostenderetur aspectibus; an Angeli, qui jam erant, ita mitterentur ut ex persona Dei loquerentur, assumentes corporalem speciem de creatura corporea in usum ministerii sui; aut ipsum corpus suum, cui non subduntur, sed subditum reddunt, mutantes, atque verterentes in species quas vellent accommodatas àique aptas actionibus suis secundum attributam sibi à Creatore potentiam. Sed fateor excedere vires intentionis meæ, utrum Angeli manente spirituali corporis sui qualitate, per hanc occultius operantes, assumant ex inferioribus elementis corpulentioribus corpus, quod sibi coaptatum, quasi aliquam vestem, mutent, & verterant in quaslibet species corporales, & ipsas veras, sicut aqua vera in vinum verum conversa est à Domino (Joan. 11.) an ipsa propria corpora sua transforment in id quod volunt accommodatum ad id quod agunt. Sed quid horum sit, quoniam homo sum, nullo experimento comprehendere valeo, sicut Angeli qui hæc agunt. Attende Lector, quia questionem propositam non solvit, sed indiscussam reliquit, utrum Angeli qui mittebantur, servatis suis propriis spiritualibus corporibus, supervestirentur aliqua corpulentiori specie, in qua possent videri; an ipsum corpus mutarent, & transformarent in quancunque velent speciem, in qua possent cerni. In quibus verbis videtur Augustinus attestari, Angelos esse corporeos, ac propria, & spiritualia habere corpora.

Quod Deus in specie qua Deus est, nunquam mortalibus apparuit.

Cæterum hæc velut nimis profunda, atque obscura relinquentes, illud indubitanter teneamus, quod Deus in specie essentia suæ nunquam mortalibus apparuit, sicut famulo suo Moysi dicit (Exod. xxxiii. 20.) Non videbit me homo, & viveret: & in Evangelio Joannis, cap. 1. 18. Deum nemo vidit unquam. Visibile enim quidquam non est quod non sit mutabile. Ideo substantia, sive essentia Dei, quoniam nullo modo mutabilis est, nullo modo potest per seipsam esse visibilis. (2) Proinde illa omnia quæ patribus visa sunt, cum Deus illis præsentaretur, per creaturam facta esse manifestum est. Et si nos latet quo modo ea ministris Angelis fecerit Deus, per Angelos tamen esse facta dicimus. (3) Audeo (4) iterum fiducialiter dicere, nec Deum Patrem, nec Verbum ejus, nec Spiritum Sanctum ejus, qui est unus Deus, per id quod est invariabile, atque idipsum est, ullo modo esse mutabilem, ac per hoc multo minus visibilem.

Utrum demones intrent corpora hominum substantialiter, & illabantur cordibus; an id per effectum dicatur.

ILLud etiam consideratione (5) dignum videtur, utrum demones, sive corporei, sive incorporei sint, malitiæ suæ effectum ibi exercent Dei permissione, opprimendo, atque vexando eas, vel in peccatum provocando. Quod in homines introeant, atque ab eis expulsi exeant, Evangelium aperte declarat, commemorans, demonia in quosdam ingressa, & per Christum ejecta, Matth. viii. & Marc. 17. (6) Sed utrum secundum substantiam fuerint ingressa, an propter mali effectum dicantur ingressa, non adeo perspicuum est. De hoc autem Gennadius in definitionibus ecclesiasticorum Dogmatum, cap. lxxxiii. ait: Demones per energeticam operationem non credimus substantialiter illabi animæ; sed applicatione, & oppressione uniri. Illabi autem menti, illi soli possibile est qui creavit, qui natura subsistens incor-

(2) Nicolai hæc interponit, ut supra Augustinus dicit Lib. III. de Trinit. cap. x. unde subdit. (3) Idem, Lib. III. de Trinit. cap. x. & xi. (4) Al. ergo. (5) Al. dignissimum. (6) Nicolai sequentia subnequit cruculis distincta. † Ut Matth. viii. vers. 31. Si ejicis nos hinc, &c. & mox: At illi exeuntes, &c. Matth. xii. vers. 43. Cum immundus Spiritus exierit ab homine: Matth. xvii. vers. 17. Exiit ab eo demonium: & Marc. 1. vers. 23. Exi de homine: itemque Marc. v. Exi Spiritus immunde: Luc. 4. vers. 41. Exibant demonia à multis, &c. †

poreus, capibilis est suæ facturæ. Ecce hic videtur insinuari quod substantialiter non illabantur demones, vel introeant corda hominum, vel corpora. Beda quoque super illum locum Apostolicorum Actuum (cap. v. 3.) ubi Petrus ait Ananiæ: Cur tentavit, vel implevit satanas cor tuum? dicit: Notandum quod mentem hominis juxta substantiam nihil implere possit, nisi creatrix Trinitas: quia tantummodo secundum operationem, & voluntatis instinctum, anima de his quæ sunt creata, impletur. Implet ergo satanas cor alicujus, non quidem ingrediens in eum, & in sensum ejus, neque introiens aditum cordis, siquidem potestas hæc solius Dei est; sed callida, & fraudulenta deceptione anima in effectum cordis trahens per cogitationes, & incentiva vitiorum, quibus plenus est. Implet autem satanas cor Ananiæ, non intrando, sed malitiæ suæ virus inferendo. Idem, in cap. xxvi. Act. super illud, Vipera &c. Spiritus immundus flamma virtutum de cordibus fidelium expulsus, doctoribus veritatis luctantibus venenum persecutionum infundit. His auctoritatibus ostenditur quod demones non substantialiter intrant corda hominum, sed propter malitiæ suæ effectum; de quibus pelli dicuntur, cum nocere non sinuntur.

DIVISIO TEXTUS.

HIC determinat Magister de Angelis bonis & malis, quantum ad corporum assumptionem; & dividitur in partes duas. In prima determinat de eis quantum ad assumptionem corporum; secundo quantum ad impressionem in nos, ibi: Illud etiam consideratione dignum videtur, utrum demones: hominum substantialiter intrent corpora. Prima dividitur in partes duas. In prima determinat de apparitione Angelorum in corporalibus formis, utrum sit per corpus assumptum, vel naturaliter unitum; in secunda determinat de apparitione divina, ibi: Nec dubitandum est, Deum in corporalibus formis apparuisse hominibus. Ubi duo facit. Primo ostendit Deum apparuisse in corporalibus formis; secundo ostendit Deum nunquam in sua essentia visibiliter apparuisse, ibi: Cæterum hæc velut nimis profunda, atque obscura relinquentes, illud indubitanter teneamus, quod Deus in specie essentia suæ nunquam mortalibus apparuit. Circa primum duo facit. Primo ostendit, Deum in visibilibus formis apparuisse; secundo inquit dicitæ apparitionis modum, ibi: Sed ubi Deus hominibus in corporalibus imaginibus apparuisse asserit, perplexam questionem proponit.

QUÆSTIO I.

HIC sex quærentur. Primo. Utrum Angeli habeant corpora naturaliter unita. Secundo. Si non habeant, utrum assumant. Tertio. Si sic, qualiter sibi corpora assumant. Quarto. Quas operationes per se exercent. Quinto. Qualiter in nos imprimere possint. Sexto. Quomodo Deus in formis corporalibus appareat.

ARTICULUS I.

Utrum Angeli habeant corpora unita.

AD primum sic proceditur. Videtur quod Angeli corpora unita habeant. Augustinus enim in Lib. de Civ. Dei (VII. cap. xvi.) inducit verba Apuleji definitiens demones sic: Demones sunt genere animalia, animo passiva, mente rationalia, corpore aerea, tempore aeterna: nec hanc definitionem improbat. Ergo videtur quod habeant corpora aerea naturaliter unita.

2. Præterea. Gregorius dicit in homilia Epiphaniæ, quod Judæis annuntiavit Christi incarnationem rationale animal, idest Angelus. Sed animal est compositum ex anima, & corpore. Ergo videtur

(7) Al. hoc velut unus.

quod Angeli habeant corpora naturaliter unita. 3. Præterea. Illud quod in se est incorporeum, respectu nullius potest corporeum dici, quia hæc prædicatio est absoluta: quod enim absolute album est, respectu nullius est nigrum. Sed secundum Damascenum, Lib. II. Fid. orth. cap. liii. & Gregorium, II. Mōr. cap. lxi. vel 2. Angeli in comparatione Dei corporei sunt. Ergo in se incorporei non sunt.

4. Præterea. Nobilior est quod in se habet vitam, & alteri confert, quam quod alterum non vivificat, quamvis in seipso vivat. Sed vita Angeli est nobilior quam animæ. Ergo videtur quod multo fortius habeat corpus unitum quod vivificet, quam anima.

Sed contra est quod Dionysius dicit iv. cap. de div. Nom. quod Angeli sicut incorporeales, ita & immateriales intelliguntur.

Præterea. Omnis substantia vivificans corpus naturaliter sibi unitum, habet potentias aliquas quæ sunt actus alicujus partis corporis. Si ergo Angelus unatur naturaliter corpori tamquam vivificans illud, oportet quod habeat potentias affixas organis, sicut sunt potentia animæ sensitivæ, & nutritivæ: quæ si in Angelo ponantur, non differret Angelus ab homine.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod Angeli neque boni, neque mali habent corpora naturaliter unita: hoc enim esse non potest, nisi essent formæ illorum corporum, vel saltem motores proportionati illis corporibus; & cum sint perfectioris naturæ ipsis animabus, oporteret quod corpora nobiliora haberent. Inter omnia autem corpora generabilia, & corruptibilia est nobilissimum corpus humanum, quasi maxime accedens ad similitudinem cælestis corporis propter æqualitatem complexionis: unde oporteret illa corpora esse corpora cælestia: & sic rediret error Philosophorum ponentium, Angelos esse formas orbium, & multiplicari secundum eorum numerum: quod tamen longe probabilius esset quam eos habere corpora aerea naturaliter unita, quod videtur Augustinus dicere; quamvis dicatur hoc non nisi ex hypothesi eum dixisse, ut utentem positionibus Platoniorum, contra quos disputabat.

Ad primum ergo dicendum, quod Apulejus falsum dixit; nec Augustinus contra hoc disputabat, quia pauca de Angelis asserere voluit.

Ad secundum dicendum, quod secundum Dionysium in 11. cap. cœl. Hier. proprietates animales, & humanæ dicuntur de Angelis per modum eminentiorem: quia quod habet naturam inferiori, habet & superior, nec eodem modo, sed eminentius: unde